

tat pactum cum Ecclesia vel ejus ministris, quia omne pactum justum stricte servandum est; 2° si debeantur ex contractu inter vivos, vel ex testamento, vel ex voto; ultimæ enim voluntates et vota realia impleri debent etiam ab hæredibus; 3° si ministri Ecclesiæ, divino cultui mancipati et spiritualia populo præstantes, honestam sustentationem non habeant, fideles tenentur oblationes eis præstare, quia *dignus est operarius mercede sua*, Luc. x, 7; 4° si per longum tempus, v. g., per decennium, introducta fuerit consuetudo quasdam oblationes certis anni temporibus vel festivitibus faciendi, episcopus cogere posset, per excommunicationem, ad eas continuandas. Non arbitramur hoc apud nos fieri posse: saltem imprudenter fieret.

5° Ut sciatur ad quem pertineant oblationes, attendendum est ad usum locorum et maxime ad intentionem offerentium; parochus enim vel quilibet alius oblationes contra voluntatem offerentium sibi arrogans, contra justitiam peccaret et procul dubio ad restitutionem teneretur. Hinc oblationes depositæ in arcula vulgo *trone*, ante imaginem vel statuam alicujus Sancti, in altare alicujus capellæ, etc., non pertinent ad parochum, sed impendi debent ad finem propter quem erecta est arcula vel in honorem Sancti, ad instaurandam capellam, ad acquirenda ornamenta, etc. Contra vero oblationes quæ sub missis fiunt ad altare, quæ pro administratione sacramentorum, pro benedicendis nuptiis vel mulieribus post partum, pro exsequiis, pro nonnullis precibus aut evangelii recitatis, vel aliis similibus functionibus specialiter offeruntur, ad parochum pertinent, etiamsi functiones per vicarium aliumve sacerdotem exercentur; nisi aliter ab episcopo, vel ex consuetudine, vel ex speciali conventionione statutum fuerit, aut ipsi offerentes aliam clare manifestent intentionem.

Hic notandum est clericos officiis pro mortuis celebratis assistentes, ut stipendia taxata faciant sua, teneri cantare, aut si cantare non valeant, chorum sequi eodem modo quo tenentur canonici, ex dicendis infra, ad faciendos fructus suos.

Pro stipendiis injuste perceptis videtur quod sufficiat celebrare missas ad intentionem defunctorum, aut privatas aut cantatas, secundum locorum consuetudinem, et taxam in diœcesi receptam.

6° Oblationes pro fidelibus defunctis in aliqua ecclesia collectæ vel in arcula repertæ, impendi debent ad offerendas missas aut celebranda anniversaria in parochiali ecclesia pro fidelibus defunctis hujus parochiæ, secundum loci consuetudinem populo notam et stipendium pro diœcesi taxatum: qui propria auctoritate secus ageret, contra justitiam peccaret. Pariter contra justitiam peccant parochi qui totam collectam die Commemorationis omnium fidelium defunctorum factam sibi attribuunt pro hujus diei officio et missa. Ex dictis in Tractatu *de Eucharistia*, 2 part., parochi tenentur missam hac die pro fidelibus defunctis applicare: alii sacerdotes ex pio usu, sed non ex præcepto, missam eodem fine hac die *gratis* celebrant.

Non videtur cur clerici jus haberent ad stipendium pro officio defunctorum in ea die cantando, plus quam pro solemnibus officiis diebus Nativitatis Domini, Paschatis, etc.

7° Ex art. 76 decreti 30 nov. 1809, cerei pro exsequiis et anniversariis oblatis, vel in panibus benedicendis positi, ad fabricam ecclesiæ pertinent. Per aliud decretum diei 26 decembris 1813, Napoleo statuit quod cerei in exsequiis a clericis delati, ad eos pertinerent, cæteri vero inter fabricam et clerum dividerentur. Pars clero hic assignata pertinet ad parochum, nisi consuetudo aut regula diœcesis aliter statuat.

In plerisque ruralibus parochiis perseveravit usus, non obstante præcedenti decreto, ut non dividatur cera, sed tota tribuatur parochi: parochus, in eo casu, eam tuta conscientia possidere potest, tum propter usum, tum propter tacitum fabricæ consensum. *A fortiori* sibi retinere potest cereos pro matrimoniis oblatis, nisi contrarius existat usus cum in præfatis non exprimentur decretis.

Cerei a pueris primarum communionum post solemnitatem oblatis, ad eum pertinere debent qui onus catechis-

num docendi sustinuit, vel si plures catechismum docuerint, inter eos dividendi sunt: talis quippe videtur esse puerorum ac parentum eorum intentio. Excipiendum est nisi consuetudo, regula diocesis aut conventio specialis aliter statuerit.

Cerei vero in honorem sanctissimi Sacramenti, B. Mariæ, vel alicujus Sancti oblati, accendi et cremari debent; eorum reliquiæ, si quæ supersint, non in beneficium parochi, sed fabricæ cedunt. Idcirco parochus qui eos statim exstinguit et sibi arrogat, contra pietatem et justitiam simul peccat.

8° De oblationibus in oratorio rurali B. Mariæ, vel alicujus Sancti factis nulla portio debetur parochi, ut S. Cong. concil. definiit per decretum diei 22 aprilis 1719. Si, ex usu vel aliquo signo, pateat hujusmodi oblationes ad celebrandas ibi missas esse destinatas, parochi est invigilare ut missæ, secundum regulam stipendia in diocesi taxantem, celebrentur per se vel per alios, in dicto oratorio vel ad altare designatum, et non alibi sine licentia episcopi.

9° Quælibet oblationes ad parochum non pertinentes, vel ad alios clericos, ex clara offerentium intentione, in utilitatem fabricæ cedunt et administrationi ædituorum (*marguilliers*) committuntur. (*Décret du 30 décem. 1809, art. 36.*)

De primitiis.

1° Judæi tenebantur, ex Exod. XXII, 29 et XXIII, 19, atque ex multis aliis locis, primitias frugum terræ et primogenitos filiorum suorum in domum Domini deferre eique consecrare ad agnoscendum supremum ejus dominium, et in testimonium gratitudinis pro beneficio quo Deus omne primogenitum Ægyptiorum ab homine usque ad pecus percuciens, primogenitis Hebræorum pepercit.

2° Primitiæ igitur sub Veteri Testamento debebantur jure divino positivo; earum quantitas non erat determinata: per traditionem autem Hebræorum accepimus, inquit S. Hieron. in Decretal. l. 3, tit. 30, cap. 1, relatus, « quod qui plurimum, quadragesimam partem dabant sa-

» cerdotibus; qui minimum, sexagesimam. Inter quadragesimam et sexagesimam licebat quodcumque voluissent offerre. »

3° Lex illa, sicut aliæ leges positivæ, accedente lege Evangelica, fuit abrogata: primitiæ igitur nunc deberi non possunt, nisi ex lege naturali, ex lege divina Novi Testamenti, vel ex lege humana: non debentur autem 1° ex lege naturali; quamvis enim ratio dietet optimum esse aliquid Deo consecrare, et fidelibus obligationem incumbere honestam sustentationem suis pastoribus subministrandi, non dictat primitias esse offerendas; 2° nec ex lege divina Novi Testamenti; nulla quippe citatur lex hujusmodi; 3° nec ex lege humana. Plura quidem citantur juris canonici capita hanc obligationem existere supponentia: sed omnes fatentur ea a multo tempore, usu contrario, fuisse abrogata. Si in nonnullis locis quædam adhuc offerantur primitiæ, sunt omnino voluntariæ, tum in specie, tum in quantitate, tum in destinatione: quidam eas tribuunt parochi, alii eas in ecclesia collocant, v. g., fasciculos lini, cannabis, juniores gallinas, anseres, etc., et tunc hæc objecta in beneficium fabricæ venduntur.

De decimis.

1° Decimæ sunt decima pars fructuum et proventuum juste acquisitorum, Deo in testimonium supremi ejus domini debita et ministris Ecclesiæ solvenda. Hæc tamen quantitas secundum diversa statuta et consuetudines variavit. Decimarum origo est antiquissima et forte ab ipsarum origine repetenda est: videmus Abraham a cæde Chodorlahomor redeuntem, decimas ex omnibus Melchisedech offerentem, Gen. XIV, 20, et Jacob Deo promittentem (ibid. XXVIII, 22) se oblaturum ei decimas cunctorum quæ sibi dederit. Deus postea statuit ut decimæ omnium solverentur tribui Levi pro ministerio quo serviebat illi in tabernaculo fœderis. Exod. XXVII, 29; Levit. XXVII, 30; Num. XXVII, 21; XXVIII, 1, etc.

2° Illæ autem decimæ, sic determinatæ, non erant

debitæ ex jure naturali, sed ex jure divino positivo, ac proinde obligatio eas solvendi per novam Legem fuit sublata.

3° In primis Ecclesiæ sæculis decimæ non solvebantur, sed omnes clerici ex oblationibus fidelium vivebant et sustentabantur. At pietate fidelium refrigescente, largitates spontaneæ oblatæ imminutæ sunt, et ministri altaris congruam sustentationem ex illis habere non poterant. Tunc Ecclesiæ legibus statutum est ut Christiani, ad honestam sustentationem pastoribus suis aliisque altarum ministris subministrandam obligati, decimas eis solverent. *Van-Espen*, t. 1, ostendit SS. Patres in quarto sæculo concionibus et adhortationibus excitasse populum ad solvendas decimas, secundum populi Judaici exemplum: refert testimonia SS. *Hieron.*, *Chrysost.*, *Aug.* Patet autem ex ipsismet hujusmodi exhortationibus, nullum eo tempore existisse præceptum de decimis solvendis: attamen populi, crebris adhortationibus istis commoti, sensim illarum solutioni se submiserunt, et quod primitus fuerat voluntarium, præscriptione transivit in legem strictè obligantem.

4° *S. Th.*, 2 2, q. 87, art. 1, et cum illo omnes catholici doctores sine ulla hæsitatione affirmant Ecclesiam habere jus præcipiendi, sub comminatione pœnarum spiritualium, ut fideles decimas solvant, sicut statuere potuit ut sacerdotes stipendia pro celebrandis missis perciperent, vel exigere possent; fideles enim tenentur, ex jure naturali et divino positivo, honestam sustentationem clericis spiritualia sibi ministrantibus præstare: porro Ecclesia determinare potest quid agendum sit ut hæc obligatio impleatur, et ista determinatio cum intentione obligandi facta fit lex ecclesiastica: ergo.

5° Consuetudo solvendi decimas facta est lex ecclesiastica obligans apud Latinos in decursu quinti sæculi, aut saltem sexti, ut demonstrat *Van-Espen*, loco citato. Concil. Matisconense II anni 585, pœnam excommunicationis in non solventes decimas primum inflexit, juxta *Fleury*, l. 34, n. 50. Hoc Ecclesiæ statutum confirmarunt

reges Galliæ in octavo et nono sæculo, ut patet ex Capitularibus Caroli Magni, cap. 6 et 7, ex Capitul. regum Francorum, l. 2, cap. 39, et ex variis conciliis. Deinde edicta principum catholicorum legibus ecclesiasticis circa hunc punctum fuerunt concordantia, sicque decimæ auctoritate utriusque potestatis fuerunt in tota Ecclesia Occidentali de præcepto atque de stricta justitia; sicque merito damnatus est articulus *Wiclef*, n. 18, in concilio Constant., sess. 7, in quo dicebat decimas esse puras eleemosynas, et parochianos eas ob peccata prælatorum solum ad libitum offerre posse.

6° Justinianus vero prohibuerat, per legem 39, § 1 Codicis, ne episcopi aut clerici cogent quosdam ad offerendos fructus, aut *angarias dandas*, aut alio modo vexarent, excommunicarent, anathematizarent, communionem denegarent..... *quomvis usus ita obtinuerit*: hinc factum est ut lex de solvendis decimis nunquam proprie apud Græcos exstiterit, et per quoddam aliud tributum sustentationi clericorum provisum fuerit.

7° Multi theologi et canonistæ contendunt decimas præscriptas esse jure divino; alii vero jure tantum humano. Sed opus est distinctione, qua admissa, omnis evanescit difficultas: vel enim decimæ spectantur quoad substantiam, quatenus scilicet congruam sustentationem ministris Ecclesiæ subministrant, et jure naturali ac divino positivo debentur, *quoniam*, ut ait Apostolus, I Cor. IX, 14, *qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt; et qui altari deserviunt cum altari participant: ita et Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere*; si vero considerentur juxta quotam partem tribuendam, v. g., decimam, duodecimam, etc., et modum illam tribuendi, certe non debentur in nova Lege, nisi jure humano. Ita *Ferraris*, *Devoti* et communiter theologi cum plurimis canonistis.

Apud nos alia via provisum est sustentationi clericorum sacrum ministerium exercentium, licet parce, et decimæ penitus fuerunt abolitæ anno 1790, quæ abolitio per Concordatum anni 1801 fuit confirmata.

3° Aliaë erant reales et aliaë personales : decimaë reales erant illaë quæ de omnibus fructibus prædiorum, agrorum, vinearum, pratorum, hortorum, arborum, domus locataë, sylvarum et animalium solvebantur ; personales, quæ solvebantur ex acquisitis proprio labore, solertia, industria, artificio, negotiatione, militia, scientia, etc. Non erant in cunctis locis eadem regulæ pro solvendis decimis receptaë.

Innumeræ quotidie nascebantur difficultates quæ nunc occurrere nequeunt : multa igitur olim maximi momenti, nunc forent sine objecto, et omittimus.

§ I. — De vitiis religioni oppositis.

Religio, ut virtus, in justo stat medio, juxta vulgare axioma ex *Arist.* et *S. Th.* depromptum : contra illam ergo peccari potest per excessum et per defectum. Peccata per excessum dicuntur superstitio, et peccata per defectum irreligiositas. De utraque in duplici sectione dicemus.

SECTIO PRIMA. — De superstitione.

Superstitio, vox a Cicerone sæpe usurpata, apud Virgilium reperta, cujus etymologia certo non assignatur, significat falsam religionem ; definitur : *Vitium religioni oppositum, quo divinus cultus exhibetur cui non debet, vel modo quo non debet.* Unde duplex est superstitio, nempe cultus falsi numinis, et cultus veri numinis incongruus, qui potest esse falsus vel superfluus. Est falsus si aliquid contineat falsi, v. g., si quis Deum colere vellet caeremoniis Judaicis, quæ significant Christum nondum advenisse ; vel doctrinam fidei confirmare vellet falsis miraculis, falsis testimoniis, vel falsas reliquias venerationi fidelium exponeret ; vel, dum est laicus, se ut publicum Ecclesiæ ministrum exhiberet, offerendo, benedicendo, absolvendo, etc. Hæc semper sunt peccata mortalia, ut docent *Suarez*, *Busenbaum*, *S. Ligorius*, etc., quia gravem injuriam Deo inferunt.

Cultus dicitur superfluus quando nihil falsi continet,

sed ad Dei gloriam et hominis subjectionem non convenienter ordinatur, vel quia est inanis, indecens, incongruus, vel quia Dei aut Ecclesiæ institutioni aut consuetudini communi adversatur : v. g., velle audire missam ante ortum solis, cum certo numero cereorum, personarum, caeremoniarum, sacerdotis nomine Joannis, communicare ex manu confessarii, ex hostia ab illo consecrata, jejunare die Dominica et non alia, missam contra rubricas celebrare aut celebrari velle, dicere *Gloria in excelsis* et *Credo* quando non sunt dicenda, etc. Hæc tamen et alia similia bona intentione facta, sunt tantum venialia ordinarie, quia materia est levis, et actio ex se non est mala. Ita generaliter theologi. Dicimus *ordinarie*, quia si res ex se mala esset, ut, v. g., si ex furto offeras, si turpia in templo canas, si ore vel organo vocem lascivam aut turpia provocantem edas, etc., peccatum sæpe erit mortale, nempe si magna sit indecentia, grave scandalum, prava intentio agentis, aut periculum animarum.

Cultus falsi numinis in quinque dividitur species, quæ sunt idololatria, divinatio, vana observantia, magia et maleficium ; agemus postea de possessione et obsessione.

Punctum primum. — De idololatria.

1° Idololatria, secundum vim nominis, est latria, id est cultus idoli ; et idolum est simulacrum alicujus rei non existentis, seu effigies falsi numinis. Unde imagines Christi et sanctorum non sunt idola, quia representant objecta realiter existentia, et non sunt falsorum deorum simulacra. Figuræ solem et lunam representantes ut deos, merito dicuntur idola vel simulacra, quia sol et luna, existentes ut sidera, non existunt ut dii.

2° Significatio hujus vocis extensionem multo majorem ex usu accepit. Nunc auctores communiter per idololatriam intelligunt omnem cultum divinum alteri quam vero Deo exhibitum, proinde anthropolatriam, dæmonolatriam, sabæismum, zoolatriam et fetichismum, id est cultum hominum, dæmonum, siderum, animalium et

cujusvis rei creatæ. Ideo est vitium religioni oppositum per excessum, seu vera superstitio. Unde B. Paulus, Athenienses præ cæteris idololatriæ deditos alloquens, dicit, Act. xvii, 22 : *Viri Athemenses, per omnia quasi superstitiosiores vos video.*

3^o Triplex distinguitur idololatria : 1^o externa simul et interna quoad existimationem, et est illa qua quis credens aliquid divinitatis in idolo vel in quavis creatura esse, illud ritu externo honorat cum intentione cultum ei deferendi : est idololatria perfecta. 2^o Externa simul et interna, cum affectu perverso, absque errore intellectus : talis est cultus quem homo, persuasum habens unicum esse Deum, exhibet idolo vel creaturæ ut aliquid obtineat a diabolo, vel exhibet ipsimet diabolo. 3^o Externa et simulata, quando nempe honor externus exhibetur falso deo sine voluntate illum honorandi, et cum persuasione nihil divinitatis in eo esse, sive adsit simulacrum, sive non. Triplex illa species gravissimum est peccatum contra virtutem religionis et externam fidei professionem. Prima tamen sola est conjuncta cum infidelitate, et pœnis in hæreticos latis subjacet, siquidem sola errorem fidei oppositum complectitur.

4^o Disputant theologi et Scripturæ sacræ interpretes circa idololatriæ originem : pro temporibus quæ diluvium præcesserunt nihil habemus certum ; sed in libro Josue, xxiv, 2, legitur : *Hoc dicit Dominus Deus Israel : Trans fluvium habitaverunt patres vestri ab initio, Thare, pater Abraham et Nachor, servieruntque diis alienis : ergo tempore Thare et Nachor, progenitorum Abraham, jam erant dii alieni : Rachel furata est idola patris sui Laban, et deinde videmus hanc perniciosam et absurdam superstitutionem ubique diffusam.*

5^o Probabile videtur, ex lib. Sapientiæ, xiv, 15 et seq., occasionem idololatriæ præbuisse homines qui, præ singulari affectione sua erga quosdam morte raptos, illorum faciebant imagines ad memoriam eorum conservandam, et, accuratam veri Dei notitiam paulatim obliscentes, sibi fingebant aliquid divinitatis in his imaginibus vel in præ-

cipuis universi partibus residere, et tunc hæc, dæmonibus impellentibus ac mirabilia in idolis facientibus, cœperunt adorare. Ita post *S. Th., Suarez*, de Supersti., l. 2, cap. 5 et 6.

6^o Philosophi et multi alii exterius tantum idolis serviebant, sine voluntate ea colendi, aut saltem sine persuasione in eis aliquid esse divinitatis, ut ostendit *S. Aug.*, de Civitate Dei, l. 6, cap. 10, et « in hoc errasse videntur, » inquit *Suarez*, quod non putarunt hunc modum idololatriæ pravum esse, quando fit ob civilem causam, vel saltem, ut alii voluerunt, quando fit necessitate urgente, » ad vitandum gravissimum malum mortis vel aliud æquivalens. »

7^o At vulgus paganorum reipsa credebatur diversos esse deos diversis orbis partibus præfectos, et aliquid divinitatis vel supremæ excellentiæ inesse idolis, ut ex variis Scripturæ textibus, v. g., Sap. xiii et xiv, Daniel, xiv, ex *S. Aug.* de Civitate Dei, l. 4, cap. 10 constat ; et *Suarez* hoc probat, l. 2, cap. 4, ubi ait : « Certe multi gentilium, » præsertim commune vulgus, cæca quadam ignorantia et » falsa traditione ac fide ducebantur, putantes singulis » rebus vim quamdam invisibilem ac supremam præsidere, » ideoque supremo cultu esse colendam, sine ulla relatione ad unum supremum creatorem ac gubernatorem » omnium, nec discurrebant quomodo id fieri posset, aut » quomodo sine uno supremo Numine ac progenitore » mundus posset subsistere. » Idem error adhuc reperitur apud gentiles nunc existentes ; doctores supremum quidem agnoscunt Numen, sed vulgus credit plures reipsa esse deos divino cultu honorandos.

8^o Docet iterum *Suarez*, ibid., cap. 6, vix dari posse ignorantiam omnino invincibilem circa pluralitatem deorum, nisi « in aliquo gentili qui et nullam rectam institutionem habet, neque per se philosophari valet, in multi » nunc inveniuntur in Æthiopia, Brasilia, et aliis similibus regionibus. »

Punctum secundum.— *De divinatione.*

1° Divinatio, juxta vim nominis, idem est ac divina actio, juxta quosdam, vel divina notio, juxta alios, quia est quaedam participatio cognitionis rerum occultarum quae divinitatis est propria, ideoque non est per se mala. Sed quoniam haec notio apud gentiles a dæmone repetebatur, usu Scripturae et Ecclesiae divinatio fere semper in malam partem accipitur, et definiri solet: *Indebita notio rerum occultarum inquisitio vel enuntiatio, dæmonis adjutorio petita aut facta.*

2° Triplex est modus occulta cognoscendi et prænuntiandi, scilicet divinus, humanus et diabolicus. Diaboli existentia, sagacitas et potentia, facultates hominum longe superantes, in dubium revocari non possunt: constat igitur illum multa scire et manifestare posse quae nos latent. Unde qui cognitionem secretorum vel futurorum aliter quaerit quam per revelationem divinam aut media naturalia et humana, eam necessario repetit a dæmone, cum non sit alia cognoscendi via.

3° Duplici modo haec exquisitio fieri potest, scilicet: 1° per pactum cum dæmone expressum, illum invocando, aliquid ei offerendo, vel adhibendo aut quaerendo media evidenter diabolica, v. g., consulendo pythones, evocando mortuos, petendo praestigia, personarum apparentias, aliave signa in aere, aqua, igne, speculis; et 2° per pactum implicitum, adhibendo quidem media naturalia, sed ad cognitionem inquisitam omnino improportionata et in quibus dæmon se immiscere solet, v. g., si quis intendat cognoscere futura ex inspectione lineamentorum corporis, ex garritu aut volatu avium, etc.

4° Apud omnes constat divinationem quae fit per expressum cum dæmone pactum, a mortali excusari non posse, ne quidem per ignorantiam, quia gravissima Deo inferitur injuria, et nullus est qui usum rationis habens, et verum Deum cognoscens, advertere non possit pactum cum ipsius hoste initum illum graviter offensurum.

5° Certum est alteram divinationem, per pactum im-

PLICITUM, in se malam esse et stricte prohibitam: nam 1° Deus, Deut. XVIII, 10, omne genus divinationis prohibet, dicens: *Nec inveniatur in te... qui ariolos seiscitetur, et observet somnia atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, nec qui pythones consulat, nec divinos, aut quaerat a mortuis veritatem.* 2° Celebris existit bulla Sixti V, diei 5 januarii 1586, per verba *Caeli et terrae creator* incipiens, in qua variae superstitionum ac praesertim divinationis species enumerantur et expresse damnantur. 3° Ita sentiunt omnes theologi, conveniuntque hujusmodi divinationem esse de genere suo peccatum mortale, et tamen fieri posse veniale propter ignorantiam, simplicitatem, aut, juxta plures, inter quos *Layman, Sanchez, Lessius, Suarez*, etc., si fides tali superstitioni non adhibeatur, sed timor tantum vel suspicio de eventu prænuntiato concipiatur, aut si ex joco ars illa exerceatur et grave non adsit scandalum.

6° Deus sibi reservavit secreta cordium et futura ex libera hominum voluntate pendentia, ut ostendit Sixtus V in sua citata bulla: unde infert 1° dæmones ea certo cognoscere non posse, sed tantum conjecturaliter, modo tamen intelligentiam humanam longe superante; 2° artem divinatoriam, in quantum ad secreta cordium et futuros eventus a causis necessariis non pendentes respicit, vanam esse, fallacem, improborum hominum astutia et dæmonum fraudibus introductam, « ex quorum operatione, » consilio vel auxilio omnis divinatio manat, sive quod » expresse ad futura manifestanda invocentur, sive quod » ipsi pravitate sua et odio in genus humanum occulte, » etiam praeter hominis intentionem, se ingerant et intendant vanis inquisitionibus futurorum, et mentes hominum perniciosis vanitatibus et fallaci contingentium » prænuntiatione implicentur, et omni impietatis genere » depraventur. » Urbanus VIII altera const. diei 31 martii 1631 dispositiones const. Sixti V confirmavit et auxit. Nihilominus pronuntiat Pontifex, homines fallacia diaboli sic delusos et curiosa sectantes, Deum graviter offendere, a via salutis averti et in laqueo damnationis

involvi. Ratio est, quia peccatum non consistit in successu artis, sed in usu ipsius artis diabolicæ.

7^o Præcipuæ divinationis species sunt: 1^o *præstigia*, quando nempe dæmon, sub quibusdam imaginibus vel corporibus aliunde asportatis aut ex aere compactis, se oculis vel sensibus hominum ingerit ad occulta prænuntianda; 2^o *necromantia*, quæ est divinatio per mortuorum evocationes veras aut fictas, adhibitis verbis aut signis quibus mortui videntur resurgere, loqui et docere occulta; 3^o *geomantia*, quæ est divinatio facta per quædam signa vel puncta in corporibus terrenis, v. g., lapide, ligno, charta, etc., exarata; 4^o *hydromantia*, per signa in aqua; 5^o *aeromantia*, per signa in aere; 6^o *pyromantia*, per signa in igne; 7^o *aruspicium*, per signa in animalium dæmonibus immolatorum visceribus; 8^o *oniromantia*, si fiat per somnia; 9^o *oraculum*, si fiat per idolum; 10^o *pythonia*, si fiat per homines arreptitios, sic dicta a sacerdotissa Apollinis quæ in tripode posita et pelle serpentis Pythonis cooperta, vaticinabatur. Omnes illæ divinationis species fieri dicuntur ex pacto cum dæmone expresso, quia dæmon invocatur, aut signa, quæ non nisi ab eo produci possunt, quæruntur.

Sequentes fieri reputantur ex pacto implicito, quia signis vel factis in se naturalibus nituntur, et deordinatio est in conclusionibus quæ ex illis superstitiose deducuntur. 11^o *chiromantia*, est divinatio ex lineis manus facta; 12^o *spatulomantia*, si ex spatulis animalium fiat; 13^o *metoposcopia*, si fiat per signa frontis; 14^o *augurium*, si ex hominis, animalium et avium vocibus, cantu, garritu, stentatione et aliis hujusmodi occulta divinentur; 15^o *auspicium*, si divinatio fiat ex volatu avium; 16^o *omen*, si ex vocibus hominum præter intentionem prolatis; 17^o *astrologia judiciaria*, si ex situ vel motu siderum futura a libera hominum voluntate pendentia prædicantur; et 18^o *sortilegium*, si per sortes divinatorias occulta vel futura exquirantur.

Hæc distinctio divinationis specierum apud S. Thomam, et, post ipsum, apud alios theologos habetur.

Qui vanis præcedentibus rebus ad finem intentum naturaliter improportionatis utendo, protestatur se omni pacto cum dæmone abrenuntiare, non ideo excusatur a peccato, quia contra protestationem suam agit, et cum nec Deus nec Angeli boni talibus rebus se immisceant, dæmon implicate invocatur, inquitur *Layman*, *Suarez*, *Bonacina*, *Busenbaum*, *S. Ligorius*, etc. Nec excusatur is qui talia media credit utilia propter experientias, quia has dæmon procurat ut homines paulatim illaqueat et ad similia usurpanda inducat: sic, cum pluribus aliis, *Busenbaum* apud *S. Ligorium* qui cum approbat.

9^o *Notandum*, ex Codice penali, art. 479, n. 7 et art. 780, n. 1, eos qui ex professo divinantur, futura prænuntiant, somnia explicant, ad mulctam pecuniariam a 11 ad 15 f. et ad incarcerationem pro quinque diebus damnari posse.

Quædam specialiter nobis dicenda sunt de astrologia, somniis, sortilegio, virga bifurcata, magnetismo et mortuorum reditibus, gallice *revenants*.

De Astrologia.

1^o Astrologia, seu astrorum scientia, duplex est, una naturalis et altera quæ dicitur judiciaria.

2^o Astrologia naturalis, quæ alio nomine vocatur astronomia, ea est quæ ex astrorum, maxime planetarum, ortu et occasu, conjunctione, oppositione varioque aspectu, tum inter se, tum relative ad stellas fixas, de futuris eventibus naturaliter contingentibus pronuntiat: sic certo prædicat eclipses, et conjecturaliter pluvias, siccitates, frigora, calores, grandines, ventos, morbos animalium, pestes, salubritates. A veteribus recensita est inter septem artes liberales, quæ sunt *grammatica*, *dialectica*, *rhetorica*, *musica*, *geometria*, *arithmetica* et *astrologia*.

Nulla lege prohibetur; imo nobilis est scientia, vera discere volente dignissima: excepta tamen ea parte quæ ex ortu, occasu, aspectu vel calore solis ac lunæ sumitur, valde est incerta in iis quæ conjecturat circa mutationem temporum, pluvias, siccitates, grandines, ventos, etc.

Unde patet quam vanæ sunt prædictiones, quæ quotannis vulgantur per ephemerides, gallice *almanachs*, a verbis arabibus *al*, articulus, et *manach*, supputare. Hujusmodi tamen prædictiones a nemine reputantur superstitiones, sed ad summum temeritates, mendacia, vel, ut plurimum, quædam mentis joca.

Multo magis incerta et obscura est si, ex influxu constellationum in nativitate hominis, naturales illius inclinationes, temperamentum, complexionem, sanitatem, indolem, actiones ordinarias cognoscere et annuntiare præsumat. Attamen si hoc judicium ulterius non procedat nondum est superstitiosum, sed vanum, frivolum et nulla fide dignum, ut pote non fundatum; quotidie enim duo infantes sub eadem constellatione nati, vel duo gemini valde diversos habent mores, ut visum est in Esau et Jacob. Si enuntietur ut certum, est peccatum veniale; si conjecturaliter nullum est peccatum. Ita *Ferraris*, *S. Ligorius* et alii plures.

3^o Astrologia judiciari a ea est quæ ex situ, aspectu, motu ac positione siderum judicat de eventibus a libera hominum voluntate dependentibus, aut saltem qui in causis necessariis non continentur, v. g., de conditione vitæ, de matrimoniis, liberis, honoribus, divitiis, infortuniis, præliis, exsilio, carcere, genere mortis, etc., vel etiam de præteritis aut præsentibus occultis, v. g., quis sit hujus pater, quis furtum aut homicidium fecit, etc. Qui hujusmodi astrologiam exercent, sæpe in jure et in historia ecclesiastica vocantur mathematici.

4^o Certum est usum talis astrologiæ esse illicitum; ita omnes, et probant 1^o ex Scriptura sacra, Jerem. x, 2: *Juxta vias gentium nolite discere, et a signis cæli nolite metuere quæ timent gentes, quia leges populorum vanæ sunt*; 2^o ex multis juris canonici canonicibus; 3^o ex constitutionibus Sixti V et Urbani VIII supra citatis, in quibus prædictio judiciaria etiam conjecturalis stricte prohibetur; 4^o ex pluribus antiqui juris civilis capitibus. Ergo, *Concina*, *Ferraris* et alii non dubitant affirmare hoc peccatum esse mortale.

5^o Non magis autem astrologos aut divinos consulere licet, v. g., ad inveniendam rem amissam, ad cognoscendum furem aut maleficum, ad detegendum secretum, quam officium divinandi exercere. Ea tamen est differentia quod simplices ad divinos recurrentes ratione bonæ fidei a peccato saltem mortali quandoque excusari possint, non vero qui artem divinandi exercent.

6^o A pluribus sæculis existunt in Europa viri et mulieres circumvagi vulgo dicti in Gallia *Bohemiens*, in Anglia *Égyptiens*, in Suecia et Dania *Tartares*, in Hispania *Gitanos*, in Italia *Zingami*, qui se jactant divinare bonam vel malam uniuscujusque fortunam, et quotidie a plebeiis consuluntur. Circa originem eorum non consentiunt auctores: *Stephanus Pasquier*, *Recherches sur la France*, l. 4, cap. 19, dicit quod die 17 aprilis 1427 venerint Parisios 12 viri, dicentes se numero 1200 ex *Ægypto* à Sarracenis fuisse expulsos, papam adisse sua confitentes peccata, accepisse pro pœnitentia ut per septem annos semper vagarentur, et 120 tantum remanere, tam mulieres et infantes quam viros, et mulieres eorum fuisse deformes et sagas.

Certum est eos qui talem exercent artem mortaliter peccare; qui vero eos vel eas adeunt *pour se faire dire la bonne aventure*, si habeant fidem aut grave præbeant scandalum, graviter etiam peccant: si vero ob solam curiositatem vel ridendi causa id faciant, ut fieri solet, peccant tantum venialiter, secluso gravi scandalo, et supposito quod ipsi bohemi serio non agant; nam tunc cooperatio fieret cum ipsis mortaliter peccantibus. Vide *Sanchez*, *Busenbaum*, *Ferraris*, *S. Ligorium* et alios.

7^o Libri de astrologia judiciaria et aliis divinationis speciebus tractantes, stricte proscripti sunt per bullam Sixti V.

De somniis.

1^o Somnium est apparitio phantastica inter somniandum in imaginatione facta.

2^o Triplicis generis distinguuntur somnia, scilicet divina, diabolica et naturalia. Divina ea sunt quæ a Deo ex-

citantur, sive id faciat per se immediate, sive ministerio Angelorum utatur; somnia diabolica ea sunt quæ diabolus in phantasiam vel in causas naturales agendo excitat; et somnia naturalia ea sunt quæ nascuntur ex naturalibus causis, nempe vel ex vivida præcedenti mentis affectione, vel ex certa corporis dispositione, qua fit, v. g., ut qui frigidis humoribus abundat, cogitet somniando se esse in aqua vel in nive; qui atra bile est repletus, sibi repræsentet tristia; vel ex ambiente aere aut corporis celestis impressione, v. g., si quis dormiat in loco nimis frigido vel calido, vel bene aut male olente, si luna caput ejus attingat, etc.

3^o Certum est multa exstitisse somnia a Deo per se vel per bonos Angelos excitata, ut patet exemplis Abimelech, Genes. xx, 3; Jacob, ibid. xxxi, 11; Laban, ib. v, 24; Joseph, ibid. iii; Gedeonis, Judic. vii, 13; Samuelis, I Reg. iii; Nabuchodonosor, Mardochei, Judæ Machabæi, II Mac. xv, 11; Joseph, viri Mariæ, et Magorum, Matthi i et ii, etc. Ubi constat somnia esse a Deo, eorum observatio non solum licita, sed necessaria est, quia Deus per illa nos instruit, monet, dirigit, voluntatem suam manifestat.

4^o Dari posse somnia diabolica variis in locis supponit Scriptura, quæ eorum observationem prohibet, v. g., Levit. xix, 26: *Non augurabimini, nec observabitis somnia*, Deut. xviii, 10: *Non inveniatur in te... qui observet somnia*, Eccli. xxxiv, 7: *Multos errare fecerunt somnia, et excederunt sperantes in eis*.

5^o Somnia naturalia observare licet in iis quæ habent connexionem cum eorum causis, v. g., medici iis uti possunt ad applicanda convenientia remedia, confessarii ad prohibendas certas lectiones, colloctiones, frequentationes ex quibus turpia nascuntur in imaginatione etiam inter somnum. In hoc nulla est difficultas.

6^o At somnia naturalia observare non licet in iis quæ cum eorum causis nullam habere possunt connexionem, v. g., ad revelanda occulta, ad prænuntianda futura libera, vel etiam necessaria, sed a causis somniorum prorsus in-

dependentia, puta, siccitatem, frigus, pluviam: talis quippe revelatio vel prædictio est vana et illusoria, vel a dæmone per pactum implicitum procederet. Graviter igitur est peccaminosa, sicut divinatio per astra, nisi simplicitate et bona fide saltem a tanto excusetur.

7^o Quando Deus immittit somnium, dat signa quibus illud a somniis diabolicis vel naturalibus certo secerni possit: in dubio vir doctus consulendus est, et, dubio perseverante, somnium servari non debet ut divinum.

8^o *A fortiori* graviter peccant qui objecta sacra vel speculum nocte capiti suo supponunt ut inde nascantur somnia futuros eventus prænuntiatura, ut patet.

Sed *Ferraris*, cum pluribus aliis, putat eum peccati mortalis culpandum non esse, 1^o qui ex mera curiositate pergit ad locum ubi thesaurus sibi exhibitus fuit in somnio absconditus, et terram effodit: 2^o qui dubitans an thesaurus absconditus sibi indicatus sit per mortuum apparentem aut per somnium, terram effodit ut veritatem rei detegat, fidem somniis non adhibens; 3^o qui observat somnium, non præcise ex fide rem prænuntiatam esse veram, sed ex quadam timiditate, cujus rationem reddere non potest; quia in his casibus vel nulla, vel saltem imperfecta est superstitio.

Sollicite tamen arcendi sunt fideles a qualibet somniorum non certo divinorum observatione.

De sortilegio.

1^o Nomine sortilegii vulgo intelliguntur omnes diabolicæ operationes, sed specialius hic intelligimus eam divinationis speciem quæ fit per sortes. Triplicis autem generis distinguuntur sortes, nempe divisoriæ, consultoriæ et divinatoriæ, quæ apud P. *Le Brun*, t. 1, p. 262, dicuntur naturales, divinæ et superstitiosæ.

2^o Sortes divisoriæ, seu naturales, sunt illæ per quas, ex consensu partium, decernitur cui res aliqua tribuenda sit. Dummodo nihil superstitionis aut injustitiæ contineant, procul dubio licitæ sunt extra casum electionis ecclesias-